

**05**

**A**

**1416**



A  
I

D

D

—



I. N. J. C. C.  
DISPUTATIO ETHICA

in Qvâ

# SUMMI BONI ESSENTIA ATQVE PRO-

PRIETATES,

PRÆSIDE

VIRO

PRÆCELLENTISSIMO atq; PRÆCLARISSIMO  
DN. M. GEORGIO WAGNERO,

Facult. Phil. Adj. meritissimo,

DN. Fautore ac Præceptore suo perpetuæ observantiæ  
cultu devenerando atq; prosequendo

RESPONS. AUTH.

DANIELE CHRISTOPH: ROEMERO,

Witteberg. Saxone,

Publicæ Eruditorum ventilationi

ANNO *Χειρογρονίας* M. DC. LXXII.

Die 4. Decembris

IN AUDITORIO MAJORI

ſiſtantur.

---

WITTEBERGÆ

Typis JOH. BORCKARDI, Acad. Typogr.



05 A 1416



IN NOMINE JESU.  
Procœmium.

**E**ffe Homini finem quendam propositum, ad quem vita & actiones tanquam scopum dirigantur, nemo sanus opinor ambiget. Sed an feratur semper eò, quo vera & infucata svadet virtus, id addubitare me vel maximè facit experientia, quæ, quemlibet complecti, id quod sibi videtur optimum, comprobat. Quisque suis convenientem moribus *εὐδαιμονίαν* fingit, fictamq; exosculatur. Sed ut hæc est ficta, ita hi etiam à fictâ hâc *εὐδαιμονία* sæpe seducuntur ac falluntur. Quare ne & nos à fictâ hâc *εὐδαιμονία* fallamur, veram Felicitatem, sed Summi Boni auspiciis freti, in præsentî dissertatione inquiremus. Tu DEUS ergo Clementissime cœptis meis ad sis oro, quo singula vergant in Nominis Tui Sanctissimi Gloriam, & meum atq; proximi emolumentum.

SECTIO I. DOGMATICA.

PRÆCEPTUM I.

*Εὐδαιμονία sive Summum Bonum est operatio Animæ rationalis, secundum virtutem optimam atq; perfectissimam, in vita perfectâ.*

*ἐκθ.*

*S. I Ad Subjectum.* Nemo, veluti spero, sanæ mentis negabit dari Summum Bonum. Non ambiisset sane Paris Helenam, tam periculoso conatu; nisi oris elegantiam; membrorum concinnam struem; virtutesq; cœteras proco aliquod numen dicasset

A 2

ciasset

etallet. Neq; ullus Athleta facile manum conferit, nisi corona suspendatur, de qua dimicet, si Promethei ex auro fictus sit: Ita etiam torpet mens nostra, ad boni desiderium, ut, nisi subinde recalcitrantem stimules, nihil expedias. Præsupposita ergò Existentiæ Summi Boni recto tramite jam procedimus ad explicationem vocis, ubi notanda venit 1. ETYMOLOGIA. 2. HOMONYMIA. 3. SYNONYMIA.

§. 2. ETYMOLOGIA. Originationem generalem quod concernit, notandum est, Bonum à quibusdam derivari à Boando, quod omnes ad se quasi alliciat. Hinc Græcis etiam est καλόν à καλεῖν vocare; quia nos vocat & invitât ad sui cultum ac appetitionem. Εὐδαιμονία verò Græcis dicitur ab εὖ & δαίμων quasi δαίμων Prudens, Sapiens. Dæmonibus enim Antiquitas humanarum artium inventionem tribuebat. Afferunt & alij hanc rationem, quia Summum Bonum nos ad statum Dæmoniorum evehat & ad res divinas extellat.

§. 3. Summi Boni HOMONYMIA variè se habet. Accipitur enim (1) ut Lactantius recenset lib. 3. de Divin: instit. cap. 7. ab Epicuro, pro voluptate animi, (2) ab Aristippo & multis alijs pro voluptate corporis: (3) à Diodoro, pro privatione doloris (4) à Stoicis quibusdam pro honestâ vitâ & virtutem sequi (5) Tandem quoq; Aristoteles, in operatione virtutis, secundum virtutem perfectissimam Summum Bonum posuit. Neq; tamen Nos (6) heic loci Summum Bonum sic accipimus *in latiori significato*, pro ut Bona Corporis & Animi includit. Sed (7) *in inferiore significato* hic indagamus Bonum Morale, & quidem non secundum quid tale, sed Summum illud Bonum, quod nos in hac mortalitate viribus propriis, non excluso tamen Auxilio Divino, acquirere apti sumus nati.

§. 4. SYNONYMIA. Synonymiam quod concernit, ea varia est: Quæ utut vario consilio diversisque rationibus ad hanc rem designandam, traducta fuerit olim; nunc tamen nullo discrimine usus publicus, quem penes arbitrium est, & jus & norma loquendi permutare sinit. Græcis dicitur εὐζωία, εὐδαιμονία, εὐπραξία, εὐτυχία, μακαρισμός, τὸ τέλος, ἀγαθὸν τὸ ἀρίστον, quæ  
omnia

omnia fermè à bonitate deducuntur. Latinis dicitur Sum-  
mum Bonum, Beatitudo, Summa Felicitas &c:

§. 5. *Ad Prædicatum.* Pertractata hæcenus ονοματολο-  
γία ad πραγματολογίαν procedimus, quæ absolvitur *Genere &*  
*Differentia.* I. *Genus* in hæc definitione non est *Voluptas*, non  
*honor*, non *contemplatio*, non *virtutis habitus* &c: Sed *Operatio*  
Quicumq; ergo consequi Summum Bonum desiderat, is agat ne-  
cesse est. Hinc in ludis Olympicis non otiosi coronabantur spe-  
ctatores, sed quorum egregia in eâ re erat industria. Arist: Lib. I.  
cap. 9. Pari modo, qui in stadio virtutis decurrunt præstrenuè, illi  
demum Summi Boni coronâ digni sunt. Non ignavi Agesilai  
milites, sed qui cæteris præstiterant, in variis exercitationum ge-  
neribus, ab eo magnis affecti sunt muneribus. Intelligimus ve-  
rò per *Operationem*, non tantum *Internam*, quæ animo perficitur,  
sed etiam *externam.* II. *Differentia* loco tria ponuntur, (1) *Quod*  
*fit actio*, non *corporis sed mentis seu animæ*, & quidem non *vegetan-*  
*tis aut sentiētis, sed rationalis.* Nihil enim absurdus esset, quam  
bestias in humanæ εὐδαιμονίας societatem adsciscere. (2) *Secun-*  
*dum virtutem optimam atq; perfectissimam.* Id est, tanquam ad  
regulam & normam virtutis, atq; sic non sufficit virtuosa agere,  
sed oportet virtuosè agere, & proinde non est Beatus ille dicen-  
dus, qui ex defectu cibi & potus est temperans, sed qui in rerum  
abundantia, secundum virtutem, iis utitur. Et proinde additur  
etiam in definitione vocabulum, (*optimam atq; perfectissimam*) Per  
quod Virtus non *formaliter & abstractè* consideratur, quatenus vi-  
delicet in comparatione una præstantior sit alterâ. Sed *ratione*  
*subjecti* quatenus videlicet illa actio secundum virtutem in homi-  
ne jam sit studio & labore perfecte & complete acquisita, ac mul-  
tis actionibus corroborata. (3) *Quod non contingat, quolibet*  
*tempore aut modo, sed requiratur Vita perfecta*, ad quam pertinet  
ætas & diuturnitas temporis. *Ætas*, quia in ætate puerili, cum  
nondum sit iudicium confirmatum, virtus perfecte acquiri non  
potest. Hinc Pueri ob defectum iudicij, à actu excluduntur fe-  
licitatis, quamvis non à spe consequendi eam *Diuturnitas tempore*  
*is*, quia sicut una hirundo non facit ver, ita neq; una actio facit  
Beatum.

PRÆCEPTUM II.

*Summum Bonum certas habet affectiones.*

ἐνθ.

§. 1. Quamvis à Reliquis Ethicis innumeræ propemodum recenseantur affectiones, relictis tamen his potiores saltem atque primarias heic loci pertractabimus, suntq; sequentes, eademque non accidentales, sed essentielles. (1) *Summum Bonum est Perfectissimum.* (2) *Hominis Proprium.* (3) *Difficiliter mobile.* (4) *Sufficiens.* (5) *Humanâ industria parabile.* (6) *Sui communicativum.* (7) *Hominis non dormientis, sed bene agentis.*

§. 2. PERFECTISSIMUM nuncupatur, quia supra & extra se non agnoscit ulterius bonum, sed ipsum ultimum est, ad quod reliqua bona omnia tendunt; Ipsum verò nusquam. Perfectio verò hoc loco non alia nisi Moralis & Ethica intelligitur, sed quia perfectio rursus dupliciter accipi potest, nimirum (1) pro eâ, quæ propter se, & (2) pro eâ, quæ propter aliud expetitur; missa posteriore, priorem hoc loco assumimus. conferatur Aristoteles.

3. HOMINIS SIT PROPRIUM. Facile hinc patet Summum Bonum in bestias cadere non posse, quia partim hæc secundum virtutem non agunt, partim etiam, quia ratione non sunt præditæ; cum tamen Summum Bonum saltem sit operatio animæ rationalis, bestia autem cum careant animâ rationali, Summo Bono careant necesse est.

§. 4. SIT DIFFICILITER MOBILE; juxta Aristot. Lib: I. Eth: cap. 5. Virtutes enim ratione Subjecti constantiores sunt, quàm Scientiæ, quæ suam immutabilitatem habent ab objecto, Undè difficilior illæ etiam oblivione labuntur, quàm hæc. Hoc quoq; est, quod Virum Bonum *στερεώγωνον* reddit. Cubo similis Vir Beatus est, qui semper manet erectus stans, ubi consistit, ita & ille sedem suam ita quantumvis ac infestante fortunâ vindicat; ut scitè loquitur Seneca: Ubi enim semel radices altè egit virtus, non facile iterum eradicatur. Hinc Zenon dicere solebat: *Facilius utrem inflatum mergi, quam Virum στερεώγωνον ad pravè agendum adigi.*

§. 5. *Sit αὐταρκες id est sibi sufficiens.* Duplex alias statuitur

αὐτ.



*αὐτάρχεια*, nimirum *alia interna, alia externa*. Illa pertinet ad *Summi Boni essentiam*. Hæc ad excellentiam. Nam si Beatus sit *αχορήγητος*, latebit ejus felicitas, ut sol nube. Hinc ad externam *αὐτάρχειαν* pertinet etiam *εὐγενεία* & natalium splendor, bona naturæ ac fortunæ. Paucis: utitur Vir Beatus *Bonis Natura ὀργάνικῶς, Honore & bonâ famâ συμβολικῶς; Amicis κοινωνικῶς*. Notandum autem est hæc omnia necessaria esse in Beato concretivè, non in *Summo Bono*, cui hæ *περίσσειαι* sunt contingentes, respectu internæ *αὐταρχείας*. Summum Bonum est sibi sufficientissimum, neq; quærit magis Bonum extra se, tanquam perficiens & appetibilitatem porro concilians. Juxta verò Externam consideratum, in bonis externis etiam cernitur magisq; manifestari potest. *Αὐτάρχεια* autem heic loci ut ait Aristoteles, non est æstimanda ex nostra solum persona, ut scilicet existimemus tum nos Beatos esse, quando pro nobis ipsis solum satis habemus, sicuti multi reperiuntur, qui tantum se suaq; curant, ut ipsi satis habeant, alios verò negligunt, sed sub nostrâ Personâ comprehenduntur ij etiam, qui ad nos pertinent, quibus vel lege Naturæ, vel ratione officij tenemur benefacere, juxta illud Ciceronis Lib: de Senect. Non nobis solum nati sumus; sed etiam Patriæ, Parentibus, Domesticis, Amicis & reliquis.

§. 6. *Humanâ industriâ Summum Bonum quoq; sic Parabile*. Seco enim, omnis noster labor frustraneus foret futurus, nec quisquam tantæ esset dementiæ, ut omnem diu noctuq; moveret lapidem ad Summum Bonum consequendum. Parandum autem est hoc Summam Bonum non *otio & inertia*: Sed *industriâ humanâ, virtuosa nimirum operatione*. Quicumq; enim virtuose agit, is assequitur Summum Bonum. Homo enim ad laborem est natus, ut avis ad volandum, & in sudore vultus sui necessaria sibi paret. Nemini enim per ventos assa columba venit.

§. 7. *Sit Summum Bonum sui communicativum*. Omne enim Bonum est sui communicativum atq; diffusivum, & quo magis quid est Bonum, eò magis quid est communicativum. Bonitas sane Dei absq; omni dubio est optima, maxima & perfectissima. Misericordissimus tamen Deus nobis omnibus communicat, imò  
 nè mi-

nè minima est Creatura Dei, ex qua non aliquid Bonitatis eluce-  
at. *Summum itaq; Bonum est communicativum sui, tum effectivè,*  
tum etiam *Subjectivè. Effectivè* quia multis vir Beatus prodest.  
*Subjectivè*, si potentiam respicias, *δύναται γὰρ ὑπάρχειν πᾶσι τοῖς*  
*μὴ παρηρωμένοις πρὸς ἀρετὴν.* ut ait Arist. Lib: 9: Eth. cap. 9. actum  
tamen si respicias, ingeminare oportet cum Poeta:

Rari quippe boni, vix sunt numero totidem, quot,  
Thebarum portæ, vel divitis ostia | Nili.

Profectò ita est: cui enim Summum Bonum vere curæ cordiq; est,  
quotus quisq; facit sui communicativum. Parum curamus quid  
alij habeant, si modo nobis bene sit. Recte sanè dicit Horatius.

Congestis undiq; saccis.

Indormis inhians & tanquam parcere sacris

Cogeris aut pictis tanquam gaudere tabellis.

§. 8. *Tandem quoq; Summum Bonum sit Hominis non dormi-*  
*entis sed benè agentis.* Ratio est, quia somnolenti & ignavi animi,  
Summum Bonum non assequuntur. Deinde quia S. B. in operatione  
secundum virtutem consistit: Jam verò cuicunq;ve non con-  
venit definitio, eidem nec definitum conveniet. Atq;vi  
Homini dormienti non convenit definitio Summi Boni, E. Ipsi  
neq; definitum conveniet, videlicet Summum Bonum.

## SECTIO II. CANONICA.

### CANONES I.

*Summum Bonum est Θεόσδοτον καὶ Θεῖον. Divinitus datum atq;  
Divinum.*

ἐκθ.

Ratio est, quia à Summo Bono videl: DEO Maximo, non  
nisi bonum provenire potest. Hic unicè est Fons & origo o-  
mnis boni, ex quo omnia bona promanant. Datur verò Divinitus  
hoc bonum non *immediatè* ut Virtus Heroica, sed *mediatè*, vide-  
licet mediante labore, neq; enim cucurbitas pingendo quispiam  
fit Beatus, *μοχθεῖν αἰνείηνη τῆς τέλοντας εὐτυχεῖν* laborare oportet  
illos, qui Summum Bonum consequi volunt.

CANON

## CANON II.

*Summum Bonum omnis homo appetit.*

*ex 9.*

Ratio est manifesta, quia omne Ens naturali impetu non interitum, sed sui conservationem desiderat. Voluntas enim nostra illud tantum potest quoque, cui intellectus assentitur. At impossibile est intellectum nostrum assentiri falso ut falso. E. æquè impossibile erit voluntatem nostram velle malum ut malum. Inde tritum Jure Consultorum Proverbium ortum est. *Quod ea facta, quæ ledunt pietatem, existimationem, Verecundiam nostram, & quæ contra bonos mores sunt, nè facere nos posse credendum.*

## CANON III.

*Nemo in hac vitâ Omni ex parte beatus divi potest.*

*ex 9.*

Sano sensu canon hic venit intelligendus. Nos non negamus, quod aliquis in hac vitâ Summum Bonum planè consequi non possit, id enim argueret Hominem nobilissimam Dei creaturam Summi Boni prorsus incapacem, quod absurdum foret. Negamus tamen, quod aliquis Summum Bonum consummative perfectum consequi possit. Vel ut cum Piccolominæo loquar, in hoc mortalium orbe Summum Bonum exactum, sincerum, omniq; ex parte perfectum inveniri non potest. Obstat enim tum Lapsus primorum parentum, tum etiam rationis cœcitas & carnis infirmitas.

## CANON IV.

*Summum Bonum non recipit magis & minus.*

*ex 9.*

Notandum est in hoc Canone, Summum Bonum posse dupliciter considerari, vel *Absolute in se &* quoad Essentiam suam: vel *cum respectu ad Existentiam* in hoc vel illo Subjecto. Priori modo negamus Summum Bonum recipere magis vel minus, & in hoc sensu canonem adduximus. Posteriori modo facile largiri possumus, unum hominem altero esse beatiorem.

## CANON V.

*Summum Bonum respicit Bonam Conscientiam & Voluptatem.*

B

Sum-

(1) *Summum Bonum* hoc loco non aliud nisi *Ethicum* intelligimus. (2) *Respicit Bonam Conscientiam*, ut effectum *S. B.* immediate concomitantē. Bona enim conscientia est indubitata notitia & recordatio, rectē cogitatorum, dictorum & factorum. (3) Per *Voluptatem* non intelligimus *inhonestam Voluptatem s. Corporis*, quæ ex malâ operatione oritur. Sed *Honestam & Animi*, quam Homo ex Virtutis actione percipit.

### SECTIO III. EXHIBENS QUÆSTIONES, QVÆSTIO I.

*Utrum Summum Bonum in voluptatibus consistat?*

EX. 9.

1. *Dist. inter Summum Bonum Theoreticum & Practicum.*  
Non illud, sed hoc in quæstione data venit intelligendum.

2. *Dist. inter Voluptatem Animi & Corporis.* Voluptates quando accipiuntur pro *letitiâ animi & tranquillitate conscientiæ* quæ rectē facta subsequitur, à Summo Bono nunquam abesse potest. Si verò Quæstio intelligatur de *Voluptatibus Corporis*, [ut sunt: *gustatus, tactus, dulcedines, suaves motus & iriillationes*, Cicero Lib. 2. de fin: & 2. Tusc. quæstionum] vox sanè non hominis esset, sed pecoris. Bestias enim statueremus si non nobis nobiliores, tamen similes. Voluptates enim cum bestijs nobis sunt communes, imò in his ipsis majores. Nam

Nos aper auditu, nos vincit aranea tactu.

Vincit odore canis, Lynx visu, simia gustu.

Sacris sanè literis hoc planè adversariatur, & rectæ rationi ridiculum. Cum enim sapientissimus Deus, rerumq; omnium Mater Natura, nobis omnibus dederit animam, quâ nihil præstantius, nihil divinius, sic nos tamen abjicimus & prosternimus, ut nihil inter nos & quadrupedes interesse videatur. *Summum Bonum* est sanè Bonum sibi sufficiens ad bene beateq; vivendum, Nihil horum de voluptate dici potest. Hinc Hieronymus; semper voluptates famem sui habent, & transactæ non satiantur. *Summi Boni* est non obesse, sed prodesse. Voluptates vero plurimum molestiæ

atq;

atq; calamitatis afferunt; corpori. Voluptatibus enim debilitatur  
Corpus. Nam compositis ferculis compositi morbi. Tandem  
quoq; Summum Bonum est diuturnum; Voluptates verò breves,  
momentaneæ, caducae sunt, Hinc Seneca ait:

Nulla Sors longa est: dolor ac voluptas,

Invicem cadunt: brevior voluptas

Ima permutat brevis hora summis.

Nequaquam ergo cum Voluptatibus definitio Summi Boni  
accommodari nequeat, in Voluptatibus Corporis, Summum Bo-  
num consistere potest.

## QUÆSTIO II.

*An Summum Bonum consistat in divitijs?*

ex. 9.

1. Dist. inter Bona Summum Bonum concomitantia & inter  
ipsum Summum Bonum. Divitiæ quidem sunt bona externa  
Summum Bonum concomitantia, sed non ipsum Summum Bo-  
num.

2. Dist. inter *divitias naturales*, quæ primò & per se humanam  
industriam sublevant, ut sunt *victus, amictus, habitatio* &c. & inter  
*divitias artificiales*, quibus non per se ac primariò vita sustentatur,  
sed tantum secundario & mediatè, ut sunt nummi, his enim tan-  
quam medijs possumus naturales divitias nobis comparare. Plu-  
rimi quidem sunt ex omni genere hominum, qui persuasum sibi  
habent, beatitudinis cardinem in divitijs verti, hinc etiam Hora-  
tius Lib: I. Epist: I. exclamar.

O Cives, cives: quærenda pecunia primum,

Virtus post nummos.

Est falsa hæc opinio inepta, pestilens, exitiosa, his ex ratio-  
nibus (1) quia divitiæ non sunt *civica* hominis bona: Sed *ἀλλό-  
τεια*, quæ pendent à fortunâ. (2) Ridiculi sunt, qui operam  
dant divitijs, cum eas porrigat fortuna, illiberalitas servat, be-  
nignitas aufert. (3) Divitiæ sunt res viles, si cæteris cum bonis  
comparentur. At Hominis Summum Bonum est Bonum opti-  
mum, perfectissimum, Summum, neutiquam E. divitiæ hominis  
Summum Bonum esse possunt. (4) Summum Bonum est diutur-

nam, opes vero seu divitiæ sunt instabiles & momento amitti possunt. Hinc Ovidius:

Nempe dat & quodcunq; libet fortuna rapitq;  
Irus & est subito, qui modo Cræsus erat.

Caduca fragilia, puerilibusq; crepundijs consentanea sunt ista, inquit Valerius Maximus, quæ opes atqve divitiæ dicuntur; affluunt subito, repente dilabuntur, nullo in loco, nullâ in personâ stabilibus nixa radicibus consistunt, sed in certissimo flatu fortunæ huc atq; illuc actæ, quos in sublime extulerunt, improvise recursu destitutos, in profundo cladum miserabiliter immergunt. Itaq; neq; debent existimari, neq; dici bona; quæ inflictorum malorum amaritudinem desiderio suo duplicant.

### QUÆSTIO III.

*An quis Summum Bonum in hac vitâ assequi possit?*

*Resp. Affirm. ex 9.*

1. Tamen dist: inter Summum Bonum Ethicum & Theolog: gicum, non de hoc, sed de illo in præsentiarum quæritur.

2. Dist. inter Summum Bonum absolute & comparatè spectatum: *Absolute Summum Bonum* cum in hac vitâ sit misera hominis conditio, neutiquam homines assequi possunt in hoc mortalium orbe; *Ethicum tamen Summum Bonum & comparatè spectatum* in hac vitâ assequi possumus. Ulterius probamus Sententiam nostram hoc argumento: *Ubi datur Virtus & actio secundum Virtutem, nec non ex actione hac tanquam vitâ rectâ resultans mentis tranquillitas & letitia cordis, ibi datur quoq; Summum Bonum. Atqui in hac vitâ datur mentis tranquillitas & letitia Cordis. E. in hac vitâ dari quoq; Summum Bonum necesse est.* Major est certa, nam Summum Bonum consistit in virtuosa actione. Minorem ipsa experientia probat.

### QUÆSTIO IV.

*Utrum quis ante mortem beatus dici queat?*

*ex 9.*

Multi quidem nobis sunt contradicentes; hinc etiam Ovidius canit:

*Sci.*

Scilicet ultima semper

Expectanda dies homini est, diciq; beatus  
Ante obitum. nemo supremaq; funera debet.

In qua Sententiâ jam olim etiam steterunt Euripides, Sophocles, Dionysius, Simonides, Aufonius, Tyrannus, & rationem afferunt hanc, quod Summum Bonum non tantum inchoationem requirat, verum etiam exitum vitæ fortunatum postulet: de quo tamen nemo dum vivit certus esse possit, neminem ante mortem beatum dici posse. Verum nos argumentum illorum potius invertimus hoc modo. *Si post ultima fata aliquis dici beatus mereatur, propter vitæ anteaactæ felicitatem, multo magis dum vivit & fruitur Summo Bono, Beatus erit dicendus.* Nam propter quod quid est tale illud est magis tale. *Atqui verum est prius. E. & posterius.*

QUÆSTIO V.

*An Summum Bonum amitti possit?*

*en. 9.*

i. Dist. inter Summum Bonum *improprie sumtum* quatenus beatus is habetur, qui honore est præditus, aut opibus abundat; & *proprie dictum*, quatenus iste est felix, qui juxta virtutem operatur. Priori sensu ex felici facile potest fieri miser: Posteriori autem non tam facile.

2. Dist. inter Summi Boni *Essentiam*, quæ non facile corrumpitur, & *Existentiam*: quatenus cum excellentiâ bonorum externorum, divitiarum scilicet; atq; honorum consideratur; & ita facilius amitti potest.

III. Dist. inter Beatitudinem inchoatam & consummatam. Hæc mutari nequit & amitti, sed quia in nullum hominem in hac vitâ imperfecta cadit: ideò inchoata venit intelligenda, quæ cum admodum sit imperfecta & tantum dispositio, omnino amitti potest. B. Meis. p. 19.

IV. Dist. inter amissionem totalem & partialem. Utraq; potest accidere felici: quanquam illa rarius, quam hæc.

V. Dist. inter amissionem reparabilem & irreparabilem.

B 3

amitti

amitti quidem potest Summum Bonum, sed non irreparabiliter. Nam iterum acquiritur & comparari potest operatione virtutis.

VI. Dist. inter Vigilantem s; operantem & inter Dormientem. Dormiens prout accipitur *proprie* & *Physice* quatenus est *privatio vigiliae*; & prout accipitur *improprie* prout pro dormiente intelligitur *vitiosus* & *inde miser*. Hoc modo Summum Bonum dormientis esse non potest.

Quod itaq; Summum Bonum amitti possit, probatur ex *Habitus acquisiti Qualitate*. Omnis enim Habitus acquisitus omnisq; actio ex habitu fluens amitti potest: Atqui Summum Bonum est Habitus acquisitus, &c: E. Summum Bonum amitti quoq; potest. Major est certa ex consensu omnium Philosophorum imò experientia ipsa probat. Minorem nemo facile negabit.

II. Probatur ex *Quidditate Summi Boni*. Quod enim non est absolute Summum & perfectissimè Bonum, illud mutari potest. Atqui Summum Bonum Ethicum non est absolute & perfectissimè Bonum. E. quoq; mutari posse necesse est. Major est certa quia solus Deus est Bonum perfectissimum atq; immutabile. Minor itidem est firma, quia habet adhuc bonum supra se & perfectius quid.

## QUÆSTIO VI.

*An quis possit esse felix & felicitatem suam ignorare?*  
*en. S.*

Duobus modis Felix quis dici potest, nimirum 1. *Habitu* 2. *Actu*. (1) *Habitu* quis felix esse potest, etiamsi felicitatem suam ignoret. Quia Habitu & dormiens felix dici potest, qui tamen de felicitate suâ dum dormit est incerto, vel plane ipsi ignota. (2) *Actu* quis felix esse non potest, nisi ipsi felicitas sua sit nota; id quod probatur. Aut enim in actione virtutis consistit felicitas, aut in tranquillitate animi & lætitiâ cordis, sed neutro modo felicitas ignota esse potest. Actionis enim Præstantia in præteriti est posita, quæ ignota esse præligenti non potest. Neq; animi tranquillitas & lætitia cordis nos latere potest, ubi per actionem se exerit. Diverso. ergò respectu felicitas nostra nobis potest esse nota & ignota.

SOLI DEO GLORIA:



**N**Osse Bonum Summum, servareq; dicta  
Sophorum,

Verè Prudentis dicitur esse Viri.

Dogmata vera Boni Summi ROEMERUS a-  
mavit,

Deq; his Doctorum verba referre cupit.

Si respondebunt vitæ conamina verbis,

Sic is Romanus nomine & omine erit.

Dogmata cum factis jungat! sic rite beatus  
Multiplicare potest Gaudia certa PATRIS.

Johannes Deutschmann/D.

---

Ad Præstantissimum Dominum Responden-  
tem Amicum per dilectum.

**S**Æpiùs egregio conscendis pulpita nisu,  
Ingenii monstrans abdita dona tui.

Patria Te digno quondam maectabit honore

Cum repetes multâ dives ab arte lares.

Michael Strauch/

Mathem. P. P. & h. t.

Decanus.

Qvi

**Q**ui Curios simulant, & Bacchanalia vivunt,  
Non capiunt summi munera diva boni  
Scrutandus virtutis apex, actusq; sequantur,  
Ut pulchrè dictis consona facta fluant.  
His scriptum, ROEMERE, Tuum fulcire memento,  
Romanum est, factis dicta probare suis.

*Politissimo Dn. Auctori  
responsuro scrib.*

**Christianus Köhrensens**  
Moral. Prof. Publ.

---

**H**ic Honor, aſt iſti *Luxus*, turpisq; *Voluptas*,  
Eheu! pro ſummo: dicitur eſſe bono.  
*Tertius* optat opes, *quartus* Virtutis amore,  
Tum bona facta cupit, tum bona facta facit.

**Q**uæ Tu cuncta doces præclarè, *dulcis Amice*,  
Hocce tuo ſcripto, quod tua dextra dedit.  
*Gratulor* his ſtudiis, **DOMINUS** benedicat, ut addas  
*Gaudia multa Tuis, commoda multa Tibi!*

*Eruditiss. Dn. RESPONDENT.*

*elegantioris hujus Disputat: Auctori  
Amico & Contubernali suo honoratiss.  
gratulab: scrib.*

**PRÆSES.**

---

**N**on defint docti, quæis tantus ritè probetur  
Conatus: ſemper gloria Te maneat!

*f.  
honori doctissimi Dn.  
Respondentis*

**J. B. G. P.**

2)0(25

05 A 1416


ULB Halle

3

003 781 739







I. N. J. C. C. 3  
DISPUTATIO ETHICA  
in Qvâ  
**SUMMI BONI**  
**ESSENTIA ATQVE PRO-**  
**PRIETATES,**  
**PRÆSIDE**  
**VIRO**  
*PRÆCELLENTISSIMO atq; PRÆCLARISSIMO*  
**DN. M. GEORGIO WAGNERO,**  
Facult. Phil. Adj. meritissimo,  
DN. Fautore ac Præceptore suo perpetuæ observantiæ  
cultu devenerando atq; prosequendo  
*A*  
RESPONS. AUTH.  
**DANIELE CHRISTOPH: ROEMERO,**  
Witteberg. Saxone,  
Publicæ Eruditorum ventilationi  
ANNO *Χεριστογίας* M. DC. LXXII.  
*Die 4. Decembris*  
**IN AUDITORIO MAJORI**  
*sistuntur.*

---

WITTEBERGÆ  
Typis JOH. BORCKARDI, Acad. Typogr.